

dationis, et non laboris temporale promittatur, aut certe in dando temporali, respectu laboris excedatur, sicque labes simoniae contrahatur, hoc ipso, quod excessus hic non intuitu laboris, sed precum, aut beneficii desiderati fiat.

129. *Post preces, aut commendationem ad obtinendum beneficium jam factas, non est simonia, promittere, vel dare temporale.* — Resp. II. Non est simoniacum, nec alia ratione illicitum, post preces, aut commendationem in ordine ad obtinendum spirituale jam factas promittere, dare, aut præstare temporale; dummodo nullum tacitum vel expressum pactum de illo præcesserit. Communis, patetque ex dictis num. 117, si enim spirituali jam accepto licet ipsi etiam conferenti spirituali ex gratitudine promittere, dare, aut præstare temporale, juxta ibid. dicta, multo magis id promittere, aut dare intercessori, argumento desumpto a majori ad minus l. *in suis*, in fine, ff. *de liber. et Posthum.*, cum concordant.

130. *Qui ficto promittit dare temporale pro spirituali, simoniam directe non promittit.* — Quæritur III. An simoniae, et pœnarum contra illam statutarum reus sit, qui ficto promittit dare temporale pro spirituali, vel pro precibus, recommendatione in ordine ad spirituale obtinendum fundendis, aut qui falso simulat, gratum se fore dando temporale pro spirituali absque animo promissum adimplendi? Resp. Quamvis talis gravissime peccet ratione scandali, quo alterum ad simoniam inducit, aut saltem inducere intendit, nihilominus ipse simoniam directe non committit, ac propterea nec pœnas illius ab Ecclesia statutas incurrit. Prima pars conclusionis de peccato scandali est extra controversiam, nullaque indiget probatione. Secundam partem, quod simoniam directe non committat, docent Suarez, lib. IV, cap. XLII, num. 4. Eman. Roderiquez, *7. Simonia*, cap. LVI, num. 6. Sotus, *de Justit.*, lib. IX, q. 8, a. 1, § *Dubium*. Castro Palao, *de Simonia*, disp. 3, punc. 6, num. 2. Lessius, *de Just. et jur.*, cap. XXXV, dub. 1, n. 11, cum communi aliorum contra Navarrum, cap. XXIII, num. 106. Ratio est, quia deest essentielle requisitum ad simoniam, voluntas videlicet emendi, vel vendendi spirituale per temporale, quam voluntatem utique revera non habet, qui illam se habere tantum fingit, et simulat.

131. *Nec pœnas illius incurrit.* — Tertia

pars, quod talis non incurrat juris pœnas, sequitur ex secunda; hoc ipso enim, quod ficto promittens temporale pro spirituali, simoniam directe non committat, pœnarum illius coram Deo reus non est; præsertim cum odiosa et pœnalia sint strictæ interpretationis, arg. l. 42, ff. *de Pœnis*. et c. *In pœnis*, c. *Odia*, de R. I. in 6. Et ideo hanc partem tenent etiam omnes num. præc. citati doctores, ac ipse quoque secundæ parti alias contrarius Navarrus *Man.*, cap. XXIII, num. 106.

132. *Non est simonia, conferre alicui spirituale intuitu consanguinitatis, amicitie.* — Quæritur IV. An simoniam committat, qui beneficium ecclesiasticum alteri confert intuitu consanguinitatis, affinitatis, vel amicitie? Resp. Negative. D. Thomas, 2, 2, q. 100, art. 3, ad 2, dum. Navarrus, *Man.* cap. XXIII, n. 107. Azorius, p. 3, lib. XII, cap. II, cum communi aliorum contra paucos. Ratio est, quia nullum pactum nec tacitum, nec expressum intervenit, nec datur aliquid temporale pro spirituali, præsertim, cum ipsa consanguinitas, affinitas, aut amicitia, intuitu cujus datur spirituale, jam præexistat. Et certe, si dare beneficium ecclesiasticum intuitu consanguinitatis esset simonia, foret etiam simonia intuitu consanguinitatis fundere pro aliquo preces, quod nemo adhuc somniavit. Peccatur tamen alio genere peccati, si ex tali respectu vel motivo beneficia, aut alia spiritualia conferantur indignis, aut minus dignis, dignioribus neglectis.

133. *Solvitur instantia.* — Nec obstat c. *Nemo*, 14, h. t. quia licet ex hoc capite habeatur, peccati, si intuitu consanguinitatis, familiaritatis, etc., spiritualia indignis conferantur, tamen ex illo non probatur, inde committi simoniam, præsertim, quod ultima verba, quibus dicitur, utrumque esse simoniacum, non ad priora, ubi agitur de consanguinitate, sed ad alia referri possint ac debeant, ob rationem in conclusione allegatam. (ADNOTATIO VI.)

§ VIII.

DE QUIBUSDAM SIMONIIS IN SPECIE, ILLIS VIDELICET, QUÆ COMMITTUNTUR IN ELECTIONE, POSTULATIONE, COLLATIONE, PRÆSENTATIONE, COMMUTATIONE, ET DESIGNATIONE BENEFICIORUM ECCLESIASTICORUM.

134. *Ratio ponendi hunc paragraphum.* — Visis iis, quæ de simonia in genere scitu

necessaria sunt, vel magis utilia, quasdam simonias in specie, illas nempe, quæ frequentiores, et Ecclesiæ magis nocivæ sunt, in hoc, et sequenti § examinabimus. Quamvis enim ex hactenus de simonia in genere dictis, simoniae in specie bene cognosci possent, nihilominus, quia in nonnullis specialibus difficultates occurrunt, et specifica rerum tractatio rem pro praxi magis claram, captivæque magis facilem reddit, de nonnullis in specie agere, utile duximus; præsertim, cum non pauci sint, qui doctores et doctrinas de simonia agentes, intellectu difficiles et obscuras conqueruntur: qui tamen re ipsa nolunt intelligere, ut bene agant. Itaque:

135. *Promittere, dare, vel præstare temporale pro voto ad beneficium, simonia est. Solvitur objectio. Tria in beneficio ecclesiastico sunt consideranda, inter quæ jus percipiendi redditus est quid spirituali annexum.* — Quæritur I. Quandiu, quomodo, et a quibus committatur simonia in electione, et postulatione? Resp. I. Quicumque etiam cæteris dignissimus per se, vel per alium mittit, offert, vel dat, aut præstat temporale, sive sit munus a manu, sive a lingua, sive ab obsequio, expresso vel tacito cum pacto, aut conditione, vel ex hoc motivo, ut ei in electione, vel postulatione detur votum aliquod ad beneficium, prælaturam ecclesiasticam, seu ut ad eam eligatur, aut postuletur, veram committit simoniam. Communis imo post decretum Innocentii XI, unanimis et certa, per jura supra jam allegata. Ratio est, quia quodvis beneficium ecclesiasticum est quid spirituale, consequenter offerre, dare, aut præstare pro illo temporale, simoniacum est, etiamsi temporale ex sola gratitudine tacite, vel expresse promittatur, modo aliquo ex allegatis supra n. 111. Et habetur clarus textus c. *Nobis*, h. t.

Dices temporale non dari, aut promitti ex eo quod est in beneficio spirituale, sed quod est temporale, pro jure videlicet percipiendi redditus temporales, quod utique est temporale, sicut ipsi redditus sunt quid temporale. Antequam ad hanc objectionem respondeatur, notandum, tria in quovis beneficio ecclesiastico considerari posse. I. Est ipsum officium et jus ac obligatio ad obeundas aliquas functiones spirituales. Et hoc omnino quid spirituale esse, in confesso est. II. Est jus percipiendi redditus temporales ratione beneficii, seu potius officii spiritua-

lis, quod vi beneficii præstatur; quod jus licet in se sit quid temporale, tamen quia spirituali adhæret, et annexum est, officio nempe spirituali, a quo provenit, quid spirituale, seu potius spirituali annexum est. III. Sunt ipsi redditus, et fructus temporales, qui ex bonis Ecclesiæ seu beneficii percipiuntur; et hi quid mere temporale sunt. Hoc notato respondetur: Jus percipiendi redditus est quid temporale, quantum in se spectatur, conceditur; quantum consideratur, ut quid annexum, et adhærens officio, negatur.

Hinc unanimis et certa doctrina est. beneficium etiam qua jus percipiendi redditus temporales pro temporali, aut hoc pro illo dari absque simonia non posse arg. can. 2, et seqq. cau. 1, q. 3, fere per totum, et c. 7, de *Transact.* et c. *Querelam*, 7, h. t. Etiamsi quis dicat, se officium et jus spirituale gratis dare, et solum vendere, seu dare pro temporali, jus percipiendi redditus temporales, aut e contra; claris juribus can. *Si quis objecerit*, 7, can. *Salvator*, 8, et can. fin. cau. 1, q. 3, juncto can. *Presbyter*, cau. 1, q. 1. Ratio assignatur cit. can. *Si quis objecerit*, cau. 1, q. 3, videlicet; quia « quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum inventum derelinquit. »

136. *Si datur pro voto etiam per tertium, ignorante electo, simoniaca, et nulla est electio.* — Resp. II. Simoniaca, indeque nulla est electio, vel postulatio, si promittendo, offerendo, dando, aut præstando procuratur unum, vel plura vota per tertium, etiam ignorante illo, pro quo procurantur; nisi in hujus præjudicium fraudulenter fiat a tertio. Rursus communis ac certa, per textum expressit cit. c. *Nobis*, 24, h. t. ubi ad propositum casum, « quod cum quatuor essent a capitulo constituti, qui debebant quemdam eligere in plebanum, amici ejus, de cujus electione spes habebatur, uni vel omnibus eligentium promiserunt, pecuniam se soluturos, eo tamen ignorante, qui hujusmodi promissione interveniente postmodum est electus, etc. » Ita respondit Pontifex, « quod nisi constaret, illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiose fecisse, quamvis ipse promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio, tanquam simoniaca pravitate præsumpta, est penitus reprobanda. » Concordat c. *Mattheus*, XXIII,

eod. Licet enim electus non sit in culpa, est tamen electio vitiosa, quia eligentes simoniace, consequenter in forma electionis peccant, sicque nulliter eligunt, uti bene ibidem advertit Glossa, §. *Reprobanda*, arg. c. *Cum mana*, etc. *Ecclesia vestra, de Elect.*

137. *Multae electiones praesertim episcoporum, etc., sunt nullae, et quare?* — Infertur I. Plures revera fuisse, et esse nullas electiones episcoporum, praepositorum, aliorumve praelatorum, necnon canonicorum, et beneficiatorum, quae per electionem conferuntur; quia plures videmus, et audimus, quod vacantibus ecclesiis, praesertim cathedralibus militantur, et deputentur aliqui a magnis principibus, aut aliis, qui promittendo, offerendo, uni et pluribus eligentibus obsequia, aut gratias temporales praestandas ipsis eligentibus, aut illorum familiae consanguineis, etc. procurant, sollicitant, et obtinent vota pro hoc, vel illo, quem princeps hujusmodi electum cupit; quia omnes hujusmodi electiones nullae, etsi unus tantum eligentium, intuitu talis simoniace sollicitudinis votum det, et id fiat ignorante illo, pro quo votum procuratur.

Castro Palao, *de Simonia*, pun. 25, n. 3, nulla allegata ratione, nec jure limitat conclusionem in casu, quo unus quidem, vel plures in electione votum simoniace dederunt alicui, major tamen, et ad canonicam electionem sufficiens pars eundem legitime, et absque simonia elegit, tali enim casu electionem validam esse, ait, citatque pro se Abbatem, in c. *Cum super, de Offic. delegat.* et Garziam, p. 5, cap. v, n. 74.

Verum limitatio haec manifeste adversatur claro textui cit. c. *Nobis*, h. t. ubi expresse dicitur, irritandam esse electionem, si vel uni ex quatuor eligentibus promittitur pecunia: uni, vel omnibus eligentibus. Est insuper contra torrentem doctorum praesertim in hoc capitulum scribentium, ut Joan. Andreas, n. 1, in verbo *uni*, Anchoranus, in notab. 2; Cardinal. in ultim. quaest.; Barbosa, n. 2; Fagnanus, n. 3, 4 et 16, et apud hanc Joan. de Anan. Marian. Socin. omnes in notabili 1; Navarrus, in *Manual.* cap. xxiii, et alios plurimos, qui omnes ob claritatem textus uno ore fatentur, electionem esse simoniacam et nullam, etsi uni soli temporale pro voto daretur, reliquis cunctis rite et legitime eligentibus, prout etiam decidit Rota apud Farinacium, decis. 22.

Male etiam pro se Castro Palao citat Abbatem, et Garziam; siquidem hi doctores, in loco, per illum citato, non loquuntur de casu simoniace; in alio autem loco cum reliquis doctoribus omnino conveniunt, expresse docendo, electionem simoniacam, et nullam esse, si vel uni duntaxat temporale detur pro voto, uti videre est apud Abbatem, in cit. c. *Nobis*, h. t. notab. 1, et Garziam, p. 8, cap. i, n. 10, et seq.

Aliud est in praesentatione, qua plures patroni ut singuli, non jure communitatis, vel collegii praesentant, et sint tot praesentationes, quod patroni, una praesentatio simoniaca et vitiosa non vitiat aliam, nec influit in illam, uti fit in electione, et praesentatione illa, qua omnes procedunt jure communitatis et collegii, indeque fit, quod electio ab uno simoniace commissa in suo sensu afficiat totam; uti magis declarant Garcias, et Barbosa, loc. cit., accedente praesertim clara dispositione juris. Caeterum:

138. *Pessime sibi et aliis consulunt, qui pro aliquo simoniace procurant votum in electione.* — Infertur II. Non tantum malitiose, sed etiam imprudentissime agere parentes, consanguineos, aut alios quoscumque tandem, qui electionem, aut postulationem alicujus certi cupientes, promittendo, dando, aut praestando quid temporale, unum vel plura vota pro illo procurant; quia hac sola ratione faciunt, quod praeter peccatum simoniace, quo se una cum eligentibus coinquant, electio hujus necessario sit nulla, consequenter ille, pro quo ita laborant, beneficium, episcopatum v. g. obtinere, et acceptare non possit; et si nihilominus re ipsa acceptet, id nulliter faciat, fructusque nulliter recipiat, necnon in continuis, iisque gravissimis peccatis mortalibus, et in evidentissimo periculo aeternae damnationis existat, a quo liberari non potest donec fructus perceptos restituat, et beneficium dimittat, vel facta restitutione perceptorum, pro futuro dispensationem obtineat, quae tamen difficillime obtinetur juxta dicenda infra § 14. Accedit, quod praeter recensita mala, alios etiam pessimos habeat exitus talis electio, Ecclesia ex variis causis miserima existente, sub tali nulliter electo, consequenter falso pastore.

139. *Sanctum statutum, et juramentum praesertim Ecclesiae Frisingensis ad evitandam omnem simoniacam electionem.* — Ad grandia hujusmodi evitanda mala, nonnullae Eccle-

§ VIII. DE QUIBUSDAM SIMONIIS IN SPECIE, ETC.

siae, et quidem in specie ecclesia cathedralis Frisingensis sancte, et provide statuerunt, quod reverendissimi eligentes ante electionem sub juramento obstringere se debeant, quod nullum eligere, nullique votum suum dare velint, qui directe, vel indirecte prece, vel pretio electionem, vel postulationem procurare attentavit, prout patet ex adhortatione reverendissimos doctos canonicos, et horum juramento ante eandem praestando.

« Exhortatio reverendissimi domini decani ad doctos canonicos. — Sicut boni operis fructus sibi comparat, qui rectum tenet in eligendo episcopum hujus Ecclesiae judicium, ita gravi semetipsum afficit damno, qui Ecclesiae praeficit indignum. Ideo charissimi confratres Deum habeatis praeculis, cujus causa nunc agitur, non faciant sibi eum, et Beatissimam Virginem Mariam necnon sanctos Corbinianum ac Sigismundum hujus ecclesiae patronos, adversarios, nec ipsos abducant odium vel favor, qui humanos solent pervertere sensus, non timor, non pecunia, non lucro suo prospiciant, sed praeferrant utilitatem Ecclesiae et capituli terrenae suae voluptati. Ideo adjuro ipsos per Deum vivum, et in virtute Spiritus Sancti, ac sub periculo animae suae, ut consentiant in eum, et nominent, quem credunt in conscientia sua meliorem, et in spiritualibus ac temporalibus utiliore pro regimine episcopatus hujus ecclesiae. »

« Domini eligentes secundum ordinem praestant juramentum tactis sacrosanctis Evangelii, in hunc modum. — Ego NN. juro et promitto omnipotenti Deo, Beatissimae Virgini Mariae, et sanctis Corbiniano ac Sigismundo cathedralis hujus ecclesiae patronis, eum eligere, seu postulare, quem credam futurum ecclesiae praedictae in spiritualibus, et temporalibus utiliore, nec illi vocem dare, quem verisimiliter scivero, promissione aut datione alicujus rei temporalis, seu prece per se, seu per aliam personam interpositam, aut alias qualitercunque, directe vel indirecte pro se electionem, aut postulationem procurasse, vel procurare. Ita me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia. »

140. *Quid possint agere legati principum,*

VI.

vel alii ad sollicitanda pro aliquo vota deputati. — Illud tamen de jure communi prohibitum non est, quod principes, et magnates, vel alii informant aut informari faciant eligentes eisque demonstrent, ut ad memoriam reducant merita, et qualitates certi alicujus subjecti eligendi, vel merita domus, ac familiae, ex qua tale subjectum est; vel, quod demonstrent, quantum intersit Ecclesiae, et quam utile ei sit, hunc praeter alio eligere, concurrentibus temporum, et revolutionum, etc., circumstantiis, cum enim juxta dicta num. 117, liceat ex gratitudine, seu ad satisfaciendum obligationi antidotali, post acceptam temporale conferre spirituale, aut e contra utique licebit etiam bona collata referre, et in memoriam revocare: pariter cum in electione attendi debeat ad qualitates eligendi, et utilitatem Ecclesiae, procul dubio etiam licebit de iis informare eligentes: dummodo semper absint promissiones, aut minae, quae eligentibus, aut eorum familiis, consanguineis, propinquis, familiaribus, etc., fiunt.

141. *Rogare pro beneficio et istud ad preces conferre, non est simonia.* — Porro simonia caret, per se, vel per alium rogare, ut quis ad dignitatem, episcopatum v. g. praeter alio eligatur, juxta dicta supra: sicuti etiam simoniace non est, ad preces dignitatem talem conferre. Utrum autem etiam alio vitio careant ob similes preces, beneficium, aut dignitatem ecclesiasticam conferre, alterius est indaginis. Illud certum est, quod in ecclesiis, in quibus habent formam juramenti supra allegati (uti Frisingae habent) nullus licite dare possit votum illi, qui per se, vel per alium pro voto in sui favorem rogat. Quamvis nihilominus vota ad preces hujusmodi data, et electio inde secuta valida sint. Possunt etiam Reverendissimi eligentes similem jurandi formulam tollere, vel mutare, et juxta communem formam juris in electione procedere. Quo casu valide, et licite datur votum etiam tali, qui per se, vel per alios pro votis sollicitat; dummodo caeteroquin requisitas qualitates habeat, et consideratis considerandis pro hic et nunc dignior, seu concurrentibus, aut existentibus pro tunc circumstantiis utilior sit Ecclesiae, eo quod gravis sit obligatio ad beneficia curata, praesertim vero ad episcopatum eligere digniorem, id est, Ecclesiae utiliore, prout amplius dictum est lib. I, tit. VI, a n. 237.